

quia in hac visione « non similitudo hominis immediate est in oculo, sed similitudo hominis resultantis in speculo <sup>1</sup> »; quapropter immediata est cognitio imaginis hominis, at non cognitio ipsius hominis, quem illa repræsentat.

36. Iam, cum intellectus aliquam rem immediate cognoscit, ipsam *intueri*, idest *videre* dicitur, atque ipsa immediata cognitio intellectiva, a visione sensitiva nomen accipiens, *intuitus*, seu *visio* nuncupatur <sup>2</sup>.

37. Ex his plane colligitur ad visionem intellectivam duo potissimum expostulari: 1<sup>o</sup>, ut principium, per quod res cognoscitur, sit proprium ipsius rei, alioquin res non in se ipsa, ac proinde non immediate cognosceretur; 2<sup>o</sup>, ut habeat cum re perfectam similitudinem, et convenientiam in *esse cognoscibili*, alioquin « non diceretur, ut inquit Aquinas, res illa immediate videri, sed quaedam umbra eius <sup>3</sup> ».

38. Iamvero, cum de visione Dei agitur, huiusmodi principium nequit esse aliquid extra Deum, nam quidquid est extra Deum, infinite distat a Deo, ac proinde esse nequit principium, ex quo Deus in seipso intelligitur. Quapropter principium, ex quo visio intellectiva Dei obtineri potest, non aliud esse quit, nisi aliquid, quod in ipso Deo est; et quoniam quidquid in Deo est, unum, idemque cum Eius essentia re ipsa est, principium, ex quo visio intellectiva Dei efficitur, est ipsa Eius Essentia, quae, ut ita dicamus, vices gerit formae intelligibilis, ex qua intellectus fit *actu* intelligens <sup>4</sup>. « Deus, inquit s. Thomas, non immediate videretur, nisi Essentia sua coniungeretur intellectui <sup>5</sup> ». Itaque visio intellectiva Dei est illa, qua Deus per principium, quod non sit aliud ab ipso Deo, intelligitur uti est in seipso.

39. Ontologi pertendunt principium immediatae visionis Dei non esse ipsam Divinam Essentiam, sed vel Esse Dei, vel, ut aiunt Ubaghs, eiusque asseclae <sup>6</sup>, ideas necessarias, atque ab-

<sup>1</sup> In *Ep. I ad Cor.*, loc. cit.

<sup>2</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 53. « Visus, inquit s. Augustinus, ad utrumque referendus est, idest et ad oculos, et ad mentem »; Lib. *De videndo Deo*, seu *Epist. CXLVII ad Paulinam*, c. IX, n. 21.

<sup>3</sup> *Quodlib.* VII, q. I, a. 1 c.

<sup>4</sup> In *lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, q. II, a. 1 sol.

<sup>5</sup> *Ibid.*, loc. cit. ad ult. — <sup>6</sup> Cf. *Revue Catholique*, Louvain, Mai 1834.

solulas, prout concretæ, et reales sunt in Deo, quæ non aliud sunt, nisi ipsa Attributa Dei. At vero Deus in seipso simplicissimus est, Eiusque naturæ repugnat distinctio inter Essentiam, et Esse, vel Attributa. Quare si Deus cognosci dicitur ex rerum finitarum consideratione, potest quidem per divisos conceptus cogitari Eius Essentia, vel Esse, vel Attributa; at si immediate cognoscitur, nequit cognosci Esse, vel aliquod Attributum, quin Eius Essentia simul cognoscatur. Itaque vel Deus nullo modo in seipso, et immediate cognoscitur, vel videtur uti est in se, ac secundum ipsam Essentiam. Ceterum, etiamsi distinctio, quam Ontologi comminiscuntur, inter Dei Essentiam, atque Esse, vel Attributa admittatur; tamen, uti ex dicendis patebit, semper impossibile est intellectum naturaliter assequi visionem Dei, sive Essentia dicatur principium huius visionis, sive Esse, vel Attributa Dei.

#### ART. VII. Refutatur Ontologismus

Quemadmodum antea monuimus, nostrum est in praesentia patefacere, quam absurdum sit illud Ontologismi fundamentum, mentem nostram naturaliter Deum videre.

40. Prop. *Nullus intellectus creatus, et nullo minus intellectus humanus naturaliter Deum videre potest.*

*Probatur* prima pars, nempe generatim quoad quemcumque intellectum creatum. Iam ostendimus formam intelligibilem, nempe principium, ex quo Deus immediate intelligitur, seu videtur, non aliud esse posse, nisi ipsam Divinam Essentiam, quæ, tamquam forma intelligibilis, cum intellectu coniungatur. Hoc prænotato, en argumentum: Ut intellectus aliquid naturaliter intelligere queat, necesse est ut habeat naturalem dispositionem ad principium, quo illud intelligitur, sive, ut Scholæ more loquamur, ad formam intelligibilem, ex qua in actu intellectionis constituitur. Atqui intellectus creatus naturalem dispositionem habere non potest ad hoc, ut Essentia Divina, tamquam forma intelligibilis, cum eo coniungatur. Ergo fieri non potest, ut intellectus creatus immediatam cognitionem, seu visionem Dei naturaliter habeat <sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Adnotanda est illa vox *naturaliter*, nam visio Dei potest convenire creature ex supernaturali actione Dei ipsam ad sublimem illam visionem e-



41. *Minor* ita demonstratur: Forma intelligibilis, qua intellectus naturaliter aliquid intelligit, debet pertinere ad idem genus, ad quod intellectus pertinet, ac proinde si forma intelligibilis supergreditur genus proprium intellectus, ipse habere non potest naturalem dispositionem ad illam in se recipiendam. Atqui Essentia Divina supergreditur genus, ad quod intellectus creatus pertinet, quia est infinite superior ipso. Ergo intellectus creatus naturalem dispositionem habere non potest ad hoc, quod Essentia Divina, tamquam forma intelligibilis, cum ipso coniungatur <sup>1</sup>.

42. Sane hoc argumentum vi sua haud destituitur, etiamsi principium, ex quo immediata cognitio oblinetur, dicatur secundum Ontologos non iam Essentia Dei, sed Esse, vel Attribute Eius; nam Esse, vel Attribute Dei, aequae ac Eius Essentia, infinita sunt.

43. Praeterea, uti alibi demonstravimus, obiectum ex eo est intelligibile, quod est immateriale. Hoc praemisso, ita argumentatur: Cognitio naturalis alicuius rei non nisi secundum modum naturae cognoscentis fieri potest; ac proinde si immaterialitas obiecti excedat immaterialitatem substantiae intelligentis, haec non potest illud naturaliter cognoscere, uti est in seipso, seu videre. Atqui immaterialitas Dei excedit immaterialitatem cuiuslibet substantiae intelligentis, nam a Deo, cuius proprium est esse *suum esse* subsistens, quaecumque compositio, et potentialitas removenda est; creaturae autem intelligentes, tametsi sint immateriales, tamen potentialitatem, et quamdam compositionem in se complectuntur, quia *non sunt suum esse, sed habent esse participatum*. Ergo substantiae intelligentes creatae Deum in seipso intelligere, sive videre naturaliter non possunt <sup>2</sup>.

44. *Probat*ur secunda pars: nempe speciatim quoad intellectum humanum. Im a nobis ostensum est cognitionem intellectivam in homine effici non posse, nisi sensitiva ipsi praecedat, atque aliquid conferat ad illam efficiendam, proindeque obiectum proprium intellectui humano esse non posse *intelligibile purum*,

levantis. Haec elevatio fit ex eo, quod aliqua dispositio supernaturalis ei superadditur (cf I, q. XII, a. 5); et haec dispositio, qua intellectus creatus ad intellectualement Dei visionem extollitur, lumen gloriae nuncupatur.

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, q. II, a. 6 c.

<sup>2</sup> Cf s. Thom., I, q. XII, a. 4 c.

sed intelligibile abstractum a phantasmatis <sup>1</sup>. Hinc, « cum de substantiis spiritualibus aliquid intelligimus, necesse habemus converti ad phantasmata corporum, licet ipsarum non sint phantasmata <sup>2</sup> ». Hoc praemisso, en argumentum: Intellectus humanus in Dei cognitionem assurgere non potest, nisi per aliquas species, sive similitudines, quas ex rebus sensilibus arripuit. Atqui cognoscere Deum per huiusmodi species prorsus diversum est, ac illum per se ipsum, uti est in se, cognoscere; nam nulla species creata repraesentare potest Deum, uti est in se. Ergo impossibile est intellectum humanum naturaliter Deum videre <sup>3</sup>.

45. Praeterea, anima humana ad Divinam visionem elevari non potest, nisi *toto conamine intellectus* in Deum *intendens* a ceteris potentiis, ac proinde a potentiis sensitivis omnino se abstrahat <sup>4</sup>; nam, cum Deus sit *intelligibile vehementissimum*, non potest noster intellectus eum videre, nisi *tota eius intentio in hanc visionem colligatur* <sup>5</sup>; et, quemadmodum alibi ostendimus <sup>6</sup>, quoties anima totam vim suam in exercitatione alicuius potentiae intendit, nullam aliam potentiam exercere valet. Atqui in hoc statu vitae, in quo anima cum corpore coniungitur, naturaliter fieri nequit, ut anima a potentiis sensitivis omnino se abstrahat. Ergo fieri non potest, ut anima naturaliter Deum videat <sup>7</sup>.

46. Denique, si anima humana gauderet illa perenni visione, quam Ontologi comminiscuntur, destitui non posset conscientia huius *facti* interni. Atqui nemo conscius sibi est se hac visione gaudere. Ergo haec, quam Ontologi comminiscuntur, visio intercalentis suae phantasiae figmenta amandanda est. Cui argumento maius robur accedit ex eo, quod, secundum Ontologos, perennis visio Dei est principium, ex quo cognitionem rerum mens nostra alipiscitur. Imvero illa visio principium nostrarum cognitionum esse non posset, nisi mens eius conscia esset, quia origo cognitionis per principium menti ignotum explicari non potest.

ART. VIII. Nonnulla consecraria Ontologismi exponuntur

47. Ontologismus ex eo etiam rejiciendus est, quod rationalismo, et pantheismo latissimam viam sternit.

<sup>1</sup> Cf *Dynam.*, c. IV, art. 2, p. 129-131. — <sup>2</sup> I, q. LXXXIV, art. 7 ad 3.

<sup>3</sup> I, q. XII, a. 11 c. — <sup>4</sup> *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XIII, a. 3 c. — <sup>5</sup> *Ibid.*

<sup>6</sup> *Dynam.*, c. I, art. 9, p. 192.

<sup>7</sup> Cf s. Aug., *De Gen. ad litt.*, lib. XII, c. 27, n. 55.



Atque in primis, rationalismus est illud systema, in quo dogmata Religionis Christianae ita explicantur, ut non aliud exhibeant, quam quod intra rationis limites includitur. Iam ex principio visionis Dei facile inferri potest Deum in se videri non posse, nisi videatur eo modo, quo reapse subsistit, ac proinde veritates, quae mysteria dicuntur, e. g., Trinitas Divinarum Personarum, huiusmodi esse, ut in Deo, aequae ac veritates naturales, a mente nostra naturaliter cognoscantur<sup>1</sup>.

48. Praeterea, naturalem ordinem cum supernaturali in Ontologismo confundi ostenditur etiam ex eo, quod si visio Dei naturalis est intellectui creato, ipsi opus non esset *lumine gloriae*, ut ad beatificam visionem perveniat<sup>2</sup>; ac proinde visio beatifica non esset supernaturalis. Nos scimus Ontologos, hunc errorem effugere volentes, statuere discrimen inter visionem beatificam, et visionem naturalem Dei in eo, quod per hanc *obscure*, per illam *clare* Deus cognoscitur, vel in eo, quod per hanc minoribus, per illam maioribus gradibus Deus videtur, vel denique in eo, quod in visione beatifica Essentia Dei videtur, in visione autem naturali limites intellectus creati in causa sunt, cur Esse, vel Attribute Dei, non autem Eius Essentia videatur.

49. At ipsi ludunt verbis. Etenim quoad primum, visio alicuius obiecti consistit in immediata eius cognitione, prout in seipso est. Atqui nulla cognitio potest esse clarior ea, qua obiectum in seipso immediate cognoscitur. Ergo visio, qua Deus obscure cognoscitur, ipsa sibi repugnat<sup>3</sup>. Quoad alterum, si naturalis visio Dei daretur, haec, quantumvis imperfecta gradibus esse dicatur, certe, quia est visio, et proinde cognitio clara, et distincta, beatum faceret videntem; unde omnes, qui in coelis sunt, beatitudine fruuntur, quamquam pro meritorum diffe-

<sup>1</sup> « Summa Bonitas Dei, inquit s. Thomas, secundum modum, quo nunc intelligitur per effectus, potest intelligi absque Trinitate Personarum; sed secundum quod intelligitur in seipso . . . non potest intelligi sine Trinitate Personarum »; 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. II, a. 8 ad 3.

<sup>2</sup> Concilium generale Viennense anno MCCC sub Clemente V damnavit errorem Beguardorum, et Beguinarum, qui asserebant « quod anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum, et Eo beate fruendum ».

<sup>3</sup> « Visio non dicit qualemcumque modum cognoscendi, sed modum cognoscendi completum »; S. Bonav., *In II Sent.*, Dist. XXIII, a. 1, q. 3 ad arg.

rentia unus perfectiorem, quam alius, visionem Dei obtinet. Hinc s. Thomas ait: « Visio beati a visione viatoris distinguitur non per hoc, quod est perfectius, vel minus perfecte videre, sed per hoc, quod est videre, et non videre<sup>1</sup> ». Denique quoad tertium, praeterquam quod, uti iam adnotavimus<sup>2</sup>, fieri non potest, ut intellectus Esse, vel Attribute Dei, non vero Essentiam videat, si limites intellectus creati impedirent, quominus ipse in visione naturali Dei essentiam videret, intellectus creatus ne per visionem quidem beatificam Essentiam Dei videre posset, quia ipse, cum ad visionem beatificam extollitur, limitibus circumscribi non desinit.

50. Praeterea, ontologismum cum pantheismo arcte colligari evincitur hoc argumento<sup>3</sup>: Res sunt intelligibiles, quatenus sunt; quapropter quidquid habet *esse* in se, intelligibile etiam in se est, et quidquid non est intelligibile in se, non habet *esse* in se. Atqui secundum Ontologos res non sunt intelligibiles in se, sed dumtaxat in Deo. Ergo earum *esse* non est ipsis proprium, sed, uti Pantheistae dicunt, est quaedam derivatio ipsius *Esse* Dei. Quod argumentum ut clarius perspiciatur, advertendum est res creatas, etsi a Deo pendeant, tamen propria realitate gaudere; quapropter illae, si considerentur prout creatae sunt, ab Eoque pendent, non nisi per actum creativum Dei intelligi possunt; sed si considerentur in realitate sui propria, et distincta a Deo, dicendae sunt intelligibiles in se, et non in Deo; quod si negetur, uti revera ab Ontologis negatur, ipsas propria realitate destitui dicendum est, ac proinde pantheismus ab Ontologis vitari nequit<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XVIII, a. 1 c. — <sup>2</sup> Cf p. 201.

<sup>3</sup> Giobertius in sua epistola, cuius titulus, *Demofilo alla giovine Italia*, sine ulla ambage professus est pantheismum esse unicam solidam philosophiam.

<sup>4</sup> Cum haec sint ontologismi consectaria, Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis Congregatio (die 18 sept. 1861) declaravit tuto tradi non posse hanc propositionem, *Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit; siquidem est ipsum lumen intellectuale*; et Neapolitanae Regionis Episcopi in Epistola collectiva ad Clerum saecularem, et regularem suarum Dioecesium (die 29 iun. 1862), illius definitionis mentione facta, inter absurda philosophica systemata ontologismum numerarunt, atque ab hoc cavendum praeceperunt. Cf LA SCIENZA E LA FEDE, vol. XLVI in Append. p. XXXII.



## ART. IX. Argumenta Ontologorum disiciuntur

51. Obiic. 1° Intelligibile est obiectum proprium intellectus humani. Atqui Deus est summe intelligibilis. Ergo Deus est obiectum maxime proprium intellectus, ac proinde immediate ab eo cognoscitur.

52. Resp., *Dist. min.*, Deus est summe intelligibilis *in se, conc. min., quoad nos, neg. min. Neg. cons.* Et sane, res sunt intelligibiles in se, quatenus sunt immateriales<sup>1</sup>, ac proinde Deus, quippe qui est maxime immaterialis, est etiam in se maxime intelligibilis. At vero intelligibilitas rerum, si referatur ad intellectum, qui eas intelligit, spectanda est non ex natura rerum, sed ex natura ipsius intellectus; nam, ut saepe diximus, *modus cognoscendi sequitur naturam cognoscentis*. Atqui immaterialitas Dei est *extra genus* cuiuscumque intellectus creati. Ergo, etsi Deus sit in se maxime intelligibilis, tamen huiusmodi non est, si ad intellectum nostrum referatur<sup>2</sup>.

53. Obiic. 2° Deus arctissimo vinculo cum mente humana coniungitur. Atqui haec coniunctio necessario efficere debet, ut mens humana Deum immediate cognoscat. Ergo.

54. Resp. *Dist. mai.*, ut causa cum effectu, nempe, *ut sustinens eam in esse*<sup>3</sup>, *conc. mai.*, ut obiectum immediatum potentiae cognoscitivae, *neg. mai. Neg. min. Neg. cons.* Re sane vera, satis non est rem esse menti humanae praesentem, ut illam cognoscat, sed oportet illam esse praesentem tamquam obiectum cognoscibile, quod mentem ad sui cognitionem determinat. Hoc autem modo Deum esse naturaliter praesentem nostrae menti haud possibile est, quia Ipse vires intellectus creati infinite supergreditur<sup>4</sup>.

55. Obiic. 3° Deus est illa Veritas, per quam ceterae veritates

Nullum autem esse dubium, quin illud S. Congregationis decretum ad ontologismum spectet, ostendit P. Thomas Zigliara, O. P. (nunc meritis a LEONE PP. XIII S. R. E. Cardinalium in Collegio adlectus), *Della luce intellettuale e dell' ontologismo*, t. II, lib. III, *Della luce oggettiva*, part. II, c. XI, p. 148 sqq, Roma 1874.

<sup>1</sup> Cf *Dynam.*, c. IV, art. I, p. 127-128.

<sup>2</sup> Cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. III, p. I, a. 1, q. 1 *resol.*

<sup>3</sup> *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. VIII, a. 3 ad 7.

<sup>4</sup> Cf s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. III, p. 2, a. 11, q. 2 ad 3; *Dist. X*, a. 1, q. 1 *ad arg.*

cognoscuntur. Atqui veritas huiusmodi immediate cognoscitur. Ergo.

56. Resp., *Dist. mai.*, ita ut sit causa, propter quam alia cognoscimus, *conc. mai.*, ita ut sit obiectum, quo cognito, alia cognoscimus, *neg. mai.*; sub eadem distinctione *conc. et neg. min.*; *Neg. cons.*<sup>1</sup>. Enimvero res per Deum a nobis intelliguntur, tum quia Deus res ita condidit, ut sint *potentia* intelligibiles, tum quia nobis largitur, et in nobis conservat lumen, quo res intelligimus<sup>2</sup>. At vero inde haud inferri potest nihil a nobis cognosci posse, nisi primo Deum cognoscamus. Etenim, sicut res a nobis cognoscuntur, quin prius cognoscamus lumen ipsius nostri intellectus, quod est causa proxima nostrae cognitionis, ita necesse non est primo cognosci Deum, qui est causa prima nostrae cognitionis, ut ceterae res cognosci possint<sup>3</sup>.

57. Inst. Secundum s. Augustinum, *omnia in luce Primae Veritatis cognoscimus, et per Eam de omnibus iudicamus*. Ergo.

58. Resp. Hunc s. Augustini locum iam s. Thomas explicavit. « Dicendum, ait, quod omnia dicimur in Deo videre, et secundum Ipsum de omnibus iudicare; in quantum per participationem sui luminis omnia cognoscimus, et diiudicamus. Nam et ipsum lumen naturale rationis participatio quaedam est Divini Luminis; sicut etiam omnia sensibilia dicimus videre, et iudicare in sole, idest per lumen solis. Sicut ergo ad videndum aliquid sensibilibus non est necesse, quod videatur substantia solis, ita ad videndum aliquid intelligibiliter, non est necessarium, quod videatur *Essentia Dei*<sup>4</sup> ».

59. Obiic. 4° Plerique illorum, qui denegant menti nostrae immediatam cognitionem Dei, docent notionem Dei ex rebus creatis in nobis gigni. Atqui haud fieri potest, ut notio Dei a rebus creatis suppedietur. Ergo immediata cognitio Dei admittenda est.

60. Resp., *Neg. min.* Et sane, non solum omnes Scholae Doctores<sup>5</sup>, sed etiam omnes Patres aperte docuerunt mentem no-

<sup>1</sup> « Propter Deum, ad rem inquit s. Thomas, alia cognoscuntur, non sicut propter primum cognitum, sed propter primam cognoscitivae virtutis causam »; I, q. LXXXVIII, a. 3 ad 2.

<sup>2</sup> Cf *Dynam.*, c. IV, art. 5, p. 138. — <sup>3</sup> I, q. LXXXVIII, a. 3 ad 1.

<sup>4</sup> I, q. XII, a. 11 ad 3.

<sup>5</sup> « Nos, ait s. Thomas, aliter Deum notum habere non possumus, nisi ex creaturis ad Eius notitiam veniamus » (*Qq. disp.*, *De Ver.*, q. XVIII,



stram a rebus creatis ad cognitionem Dei ascendere. Satis sit haec pauca s. Augustini afferre: « In similitudine sua Deum quaeramus, in imagine sua Creatorem agnoscamus<sup>1</sup> ». Quomodo autem ex creaturis in cognitionem Dei deveniamus, in *Theodicea* explicabimus.

ART. X. De Psychologismo rationali

61. Hoc nomine appellatur illud systema, quo statuitur originem nostrae cognitionis ita progredi, « ut primo incipiat in sensu, secundo perficiatur in intellectu<sup>2</sup> ».

62. Hoc systema ab Aristotele profectum omnes Scholastici post s. Augustinum<sup>3</sup> propugnarunt<sup>4</sup>. Quomodo autem nostra cognitio oriatur a sensibus, et perficiatur in intellectu, iam explicatum, et ostensum a nobis est in *Dynamilogia*<sup>5</sup>. Hic dumtaxat in memoriam revocantes ea, quae ibi statuimus, demonstramus cognitionis nostrae rationem non nisi in hoc systemate reddi posse.

63. Prop. *Origo nostrae cognitionis non nisi secundum Scholasticorum systema explicari potest.*

*Probatur.* Illud solum systema ad explicandam originem cognitionis intellectivae est accommodatum, quod respondet naturae nostri intellectus; nam « oportet, quod cognitio fiat secundum modum cognoscentis<sup>6</sup> ». Atqui intellectus humanus est eius naturae, ut ad primas cognitiones rerum pervenire non

a. 2 c.; cf *ibid.*, a. 1 ad 1, et I, q. LXXXVIII, a. 3 c.). Atque s. Bonaventura: « Cognoscere Deum per creaturam est elevari a cognitione creaturae ad cognitionem Dei, quasi per scalam mediam, et hoc est proprie viatorum »; *In lib. I Sent.*, Dist. III, p. I, a. 1, q. 5 *resol.* Quam ob rationem Concilium Vaticanum hanc edidit definitionem: « Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, anathema sit »; *Const. dogmat. de Fide cathol.* Sess. III, *Canones*, n. I, § 1.

<sup>1</sup> *In Ioan. Evang.* c. V, tract. 23, n. 10. Cf *De Civ. Dei*, lib. VIII, c. 6; *Conf.*, lib. VII, c. 17, n. 23, et alibi *passim*.

<sup>2</sup> *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 11 c.

<sup>3</sup> Cf *Enchir.*, ad *Laurent.*, c. IV, n. 1; *De vid. Deo*, c. 17, n. 42, 43; *De Gen. ad litt.*, lib. V, c. 42, n. 28; *De Imm. an.*, c. 10, n. 17.

<sup>4</sup> Cf prae ceteris, s. Bonav., *De septem itin. aet.*, Itin. 3, d. 4, a. 3; *De septem donis Spiritus S.*, *De dono intell.*, c. I.

<sup>5</sup> Cf c. IV, *passim*.

<sup>6</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XXVIII, q. I, a. 2 *sol.*

possit, nisi dicatur ipsas oriri a sensu, et per vim intellectivam perfici. Ergo origo intellectivae cognitionis non nisi secundum systema psychologicum rationale explicari potest.

64. *Minor* huius argumenti probatur hoc modo: 1° Natura nostri intellectus ex postulat, ut eius cognitio a sensibus oriatur<sup>1</sup>. Enimvero unicum est in homine principium, quod res sentit, atque intelligit, quia, ut in *Anthropologia* ostendimus, una, eademque est anima, quae simul sentiens est, atque intelligens, id est, quae est subiectum intellectus, et simul cum corpore subiectum facultatum sentientium. Ex hac coniunctione facultatum intelligentium cum sentientibus efficitur, ut obiectum nostro intellectui proportionatum non sit *intelligibile purum*<sup>2</sup>, sed essentia rerum, quae esse suum in materia habent<sup>3</sup>. Atqui res, quae habent esse suum in materia, non nisi per potentias sentientes apprehendi possunt. Ergo natura intellectus humani ex postulat, ut nequeat assequi obiectum sibi proprium, nisi cognitioni eius cognitio sensitiva praecedat<sup>4</sup>.

2° Natura intellectus etiam ex postulat, ut eius cognitio, quae a sensu initium sumit, ab ipsa vi intellectiva perficiatur. Re quidem vera, etsi intellectus cum corpore coniungatur, tamen ipse actiones suas sine ullo corporeo organo exercet<sup>5</sup>. Ex hoc consequitur proportionem inter intellectum, atque obiectum eius proprium intercedere non posse, nisi statuatur, essentiam rerum apprehendi ab intellectu, non prout est in hac, vel in illa re singulari, quemadmodum apprehenditur a sensibus, sed altiori modo, nempe prout abstrahitur a quavis conditione materiali, ac proinde sub universali ratione consideratur<sup>6</sup>. Atqui, si res ita se habet, agnoscenda est in mente aliqua virtus superioris ordinis, quam sensus, ut per ipsam cognitio sibi propria perficiatur, eaque est, quae nomine intellectus agentis designatur<sup>7</sup>. Ergo.

65. Obiic. 1° Intellectus, antequam efformet speciem intelligibilem, aut cognoscit rem, quam species repraesentat, aut non

<sup>1</sup> « Naturale est homini, ut per sensibilia ad intelligibilia veniat, quia omnis nostra cognitio a sensu initium sumit »; I, q. I, a. 9 c.

<sup>2</sup> Cf *Dynam.*, c. IV, art. 2, p. 130. — <sup>3</sup> *Ibid.*

<sup>4</sup> Cf *ibid.*, p. 129-131, ubi id ipsum ex testimonio experientiae etiam comprobavimus. — <sup>5</sup> Cf *ibid.*, art. 1, p. 127-128, et art. 12, p. 156-158.

<sup>6</sup> *Ibid.*, art. 3, p. 131-133. — <sup>7</sup> Cf *ibid.*, art. 5, p. 134-138.



cognoscit. Atqui primum dici nequit, quia species rerum haberet, antequam ipsas efformaret; nec secundum, quia intellectus nequit in seipso effingere species illarum rerum, quas non cognoscit. Ergo origo nostrae cognitionis secundum systema Scholasticorum explicari nequit<sup>1</sup>.

66. Resp., *Dist.* secundam partem *maioris*, aut *non cognoscit*, ita tamen, ut obiectum *potentia intelligibile* sit ipsi praesens, *conc.*, secus, *neg. Dist.* item secundam partem *minoris*, *nequit effingere* etc., si obiectum *potentia intelligibile* non sit ipsi praesens, *conc.*, secus, *neg. Neg. cons.* Re quidem vera intellectus agens efformat speciem intelligibilem per abstractionem, quam naturaliter exercet super phantasma, et haec abstractio non est ea, quae dicitur *per modum compositionis, et divisionis*, sed ea, quae dicitur *per modum simplicitatis*<sup>2</sup>; quapropter, uti alibi adnotavimus<sup>3</sup>, intellectus agens ad efformandam speciem intelligibilem exoptulat, ut phantasma, quod est obiectum *potentia intelligibile*, praesens ipsi sit, sed non ut ideam eius iam in se habeat. Nemini autem negotium facessat, phantasma, quod ad facultatem sensitivam pertinet, esse praesens intellectui. Nam, quamvis animae facultates inter sese distinguantur; tamen una est earum radix, unumque eo, quo explicavimus, modo, est ipsarum subiectum, nempe essentia animae<sup>4</sup>; ita ut non facultas, sed anima per facultatem aliquid agere proprie dicatur<sup>5</sup>. Hinc fit, ut anima, cum per facultatem sensitivam phantasma percipit, per intellectum agentem exerit actionem abstractivam in phantasma.

67. Obiic. 2<sup>o</sup> Intellectus essentiam communem ab individuis abstrahere non potest, nisi prius *nota communi*, sive idea generali potiatur. Ergo tantum abest, ut abstractio efformet ideam universalem, ut potius ipsam exoptulet<sup>6</sup>.

68. Resp., *Neg. ant.* Etenim abstractio non exoptulat, ut anima praeviam cognitionem *notae communis*, sive notam communem cognitam tamquam communem habeat, sed tantum ut animae obviam fiat obiectum, ex quo intellectus aliquid, quod

<sup>1</sup> Cf Auctorem *Instit. phil. ad usum Semin. Lugd., Met. special.*, Pars II, diss. II, art. 3. Fere eodem argumento usus est etiam Rosminius, *N.S.*, sez. IV, c. I, a. 16, et 17. — <sup>2</sup> Cf *Dynam.*, *ibid.*, p. 136.

<sup>3</sup> *Ibid.*, p. 136. — <sup>4</sup> Cf *Dynam.*, c. I, art. 4, p. 98.

<sup>5</sup> Cf s. Thom., *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. X, a. 9 c. — <sup>6</sup> Cf Rosmin., *loc. cit.*

pluribus commune sit, seiungere potest. Hoc obiectum est phantasma, in quo essentia, quae pluribus communis sit, latet. Quocirca abstractioni, ut diximus, praecedat cognitio concreta, quae essentiam una cum conditionibus individuantibus exhibet. Intellectus autem ope abstractionis sibi conficit notionem illius essentiae exemptae a conditionibus individuantibus; deinde reflectens super hanc notionem apponit illi notam communem, sive *rationem universalitatis*<sup>1</sup>. Cognitio igitur notae communis efficitur ex reflexione super notionem, quam intellectus ope abstractionis adipiscitur; tantum abest, ut abstractioni praecedat<sup>2</sup>.

## CAPVT II.

## De connexione sermonis cum cogitatione

## ART. I. De signis in universum

69. Antequam controversias, quae circa connexionem sermonis cum cogitatione agitatae sunt, dirimamus, nonnihil de signis in universum, et maxime de natura signorum, quae verba appellantur, in antecessum dicamus oportet.

*Signum*, ut s. Augustini verbis utamur, « est res, praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud faciens in cogitationem venire<sup>3</sup> ». Ex quo intelligitur tria in quolibet signo nobis occurrere, scilicet unum, quod aliquid significat, alterum, quod per ipsum significatur, et quoddam principium, cuius vi e cognitione unius ad cognitionem alterius progredimur. E. g., in *fumo*, prout est signum ignis, tria occurrunt, nempe fumus, qui ignem significat, ignis, qui a fumo significatur, et relatio inter utrumque, quatenus fumus ab igne producitur.

70. Si signum non ex voluntate hominum, sed natura sua ad rem, quam significat, refertur, dicitur *naturale*; e. g., fumus est signum naturale ignis; sin ad rem significatam referatur ex hominum instituto, dicitur *arbitrarium*; e. g., oliva est signum arbitrarium pacis.

71. Iam homo quibusdam signis, seu mediis sensilibus opus habet, ut conceptiones suas extrinsecus proferre possit. Nam

<sup>1</sup> Cf s. Thom., I, q. LXXXV, a. 2 ad 2.

<sup>2</sup> Alias obiectiones exsolvimus p. 137.

<sup>3</sup> *De Doctr. Christ.*, lib. II, c. 2, n. 1.